

Alte Drucke

**Passio Domi||NI NOSTRI IESV CRI-||sti secundum
Mattæum in de-||cem Homilias diuisa, per D. Ioannem
Chrysostomu[m]. || ... ||**

Johannes <Chrysostomus>

Parisiis, 1547

HOMILIA LXXXVI. EX CAP. XXVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150600

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

Gene. 39

vinctus fuit, nec regiam vbi mulier illa versabatur domum obiectare: sed victum mihi atque victorem ostende, & qui in voluptate, qui in mœrore vivebat, patefacias. Illa nec iustum illum virum, nec cupiditatem propriam superavit: hic & mulierem repulit, & à difficillimo captus morbo nõ est. Et si vis, verba mulieris audiamus, & à superato penitus, atque prostrato animo proferri videas. Adduxit nobis huc, inquit, puerum Hebræum illudere nobis. Non ille o miserrima, atque iniquissima, sed diabolus tibi illusit, quia persuasit posse adamantium abs te animum infringi. Non adduxit tibi maritus Hebræum insidiantem puerum, sed callidissimus dæmon, qui in illicitam te impulit cupidinẽ. Quid autem Ioseph tacet omnino: & sic cõdemnatur, velut & Christus. Figura enim illa Christi fuerat. Sed erat ille, inquit, in vinculis, hæc in regia spaciabatur. Et quid est hoc? nõne illa splẽdida fuit, coronatus etiam hic, quum in carcere victus iacere videretur? Hæc autem omnino victo inferior, quam in regali thalamo versabatur, sed non hinc solùm, verum etiã ab exitu rerum victoriã aspicere solet. Quis enim quod voluit nactus est? ille victus professõ, non hæc regia mulier. Nam ille castimoniam studuit conseruare, hæc casũ illius animum corrumpere. Quis igitur voluntatẽ adimpleuit suam? Ille qui passus æquo animo iniuriam est, aut hæc quæ iniquissimẽ intulit? Ille proculdubio, ille igitur clarissima fuit potius victoriã quæ omnia non ignorantes, hanc victoriã quæ à patiẽtia originem trahit, totis viribus persequamur: illam diligentissimẽ fugiamus, quæ ab inferenda iniuria nascitur. Sic enim & præsentem vitam quietẽ atque tranquillẽ peragemus, & futuram consequemur, gratiã & misericordiã domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXVI.

EX CAP. XXVI.

*V*nc spuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chris̃te, quis est qui te percussit, &c. Quamobrem hæc faciebant cùm occisuri eum essent? Quid enim huiusmodi illusione opus erat? Crudeles eorũ mores in omnibus ostendunt, qui quasi venatores ferã inuenta, sic violentiã & furore ferebantur,

bantur, solennitatē habere cupientes, & ingenti cum voluntate insistentes. Tu autem sublime discipulorum philosophiā admirare, qui adeo exquisitē ista conceperūt, & quāti facerēt veritatē, faciliē appareat cū ea quæ turpissimā videtur, ad vnguem exposuerunt, nihil celantes, nec erubescētes, sed eximiam putantes gloriam: & profectō eximia est, quod dominus orbis talia pro nobis pati voluerit: quæ res & ineffabilem erga nos charitatē, proteruitatēque eorū nulla venia dignā ante oculos ponit. Quippe aduersus mitissimum illum atque lenissimum, qui vel quando cædebat, ea verba dicebat, quibus etiam leonē in agnum redigere posset, tantam crudelitatem ostendebāt, sed vt ipse nihil lenitatis prætermisit, sic ipsi nihil cōtumeliæ, nihil impietatis: sed tam verbis quā factis explere furorē suū conabantur: quæ omnia Esaiās ille prædixit, qui paucissimis verbis omnē hanc cōtumeliā multo antē aperuit. Quæadmodū, inquit, obstupescēt super te multi, si inglorius erit inter viros aspectus tuus, & forma tua inter filios hominum. Quid enim illi cōtumeliæ potest exæquari? In faciem illam quam fluctus maris reueriti sunt, quam sol in cruce vidēdo radios oculuit, spuebāt, cædebant, caput percutiebant, abūde animos suos explentes, & vulnera cōtumeliosissima inferētes, quibus spuendi contemptum addere non verebantur. Verba rursus derisionis plena proferebant, Prophetiza nobis Christe, dicentes, quis est qui te percussit? Sic illudebāt, prophetam ipsum appellantes. Alius autem Euangelista dicit, quia velamine sua facie adoperta hæc faciebant, quasi quēdam infamen & nullius rei hominem, non liberi solum, verum etiam serui deludentes. Sæpius oro hæc attentē audiamus, hæc in cordibus nostris conscribamus: hæc enim pulcherrima & gloriosissima sunt: in his ego summopere glorior, nec minus me hi sui dolores sublimem efferunt, quā mille mortui quos excitauit. Hæc & Paulus itē, & itē voluit atq; reuoluit, crucē, mortē, passionē, conuicia, iniurias, contumelias, & modo quidē ait: Exeamus ad ipsum opprobrium eius ferentes: modō autē. Qui pro gaudio sibi proposito crucē sustinuit ignominia cōtemnens. Petrus autem sedebat in atrio foris, & accessit ad eū vna ancilla, dicens. Et tu eras cum Iesu Galilæo. Ipse autem negauit corā omnibus, dicens: Nescio quid dicis, Egresso autem illo ad portam, vidit eum alia ancilla, &

Esaiæ. 52

Lucæ. 22

Lucæ. 22

Hebr. 13

dicat: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et rursus negavit cum iuramento. Post paululum autē cum accessisset, qui stabant, dixerunt Petrus: Verē & tu ex eis es, etenim loquela tua te manifestum facit. Tunc cepit anathematizare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Priusquam catauerit, ter me negabis. Et ingressus foras, fleuit amarē. O res nouas, & mirabiles: quando cepi magistrū vidit adeo efferbuit, vt stricto gladio seruum percussisset, quando autem magis indignari, inflammari, succendiq; debebat, tot tantaque opprobria videndo atque audiendo, tunc abnegavit. Quis enim indignatione non insaniret, nefandissima illorum facta cōspiciens? pauore tamen ille omnino superatus, non modo non indignatur, sed pernegat, ac misere vilisque puellae verba ferre nō potest, nec semel modō, nec secundo, sed etiam tertio negat, & hoc in breuissimo tēpore, nec coram iudicibus, foris enim erat. Sedebat enim, inquit, in aula foris, & cum in portam exisset, eū aggrediūtur, nec lapsum suū ipse antea sensit, vt Lucas dicit, quā in eū Christus respexisset. Ita non solum negavit, sed etiam quāuis gallus cantasset, casum suum tamen à seipso non sensit, sed magistri admonitione indiguit, Cuius inspectio vox illi facta est. Marcus ait, cum semel Petrus negasset, tunc primō gallum cantasse: cum vero tertio illum, tunc gallum secundo. Ita exquisitē solus explicauit, & piam magistri ad discipulū curam, & imbecillitatem Petri, & quod formidine motus vix seipsum cognoscebat, hāc ab ipso magistro Marcus didicit: discipulus enim Petri fuit: vnde maxime ipsum admirari debemus quia non solum magistri delictum non occultauit, sed exquisitius etiā quā ceteri hoc ipso, quia discipulus erat, cōscribere potuit. Quomodo igitur cum Marcus dicat: Antequam gallus cantet, ter me negabis: cū tertio negasset, secundo gallus cantauit, vt Marcus scripsit? & quomodo hāc vera & cōsona esse possunt? Valde ista certē vera, & sibiipsis cōuenientia sunt. Nam quoniam in vna vice ter & quater gallus cantare assuevit: significare voluit Marcus, quia nec voce quidē galli in memoriā adductus est, nec se à negatione retinuit, vtrūque igitur verum est. Nam antequam vnam cantandi vicē gallus absoluisset, ter negauit. A Christo autē in memoriā delicti redactus, ne lachrymis proderetur, non est palām ausus, sed exiuit foras, & fleuit

Luc. 22

Mar. 14

Marcus
Petri disci-
pulus, di-
dicit ab eo
quod scri-
psit.

uit amarè. *Facto autem die, ducunt Iesum à Caipha ad Pilatum.* CAPUT
 Nam quoniam interficere ipsum statuerunt, & ppter diem XXVII.
 festum nō poterant, ad Pilatum eum ducunt. Tu verò consi-
 dera quomodo res ista cōpulsā est, vt in die festo ageretur.
 Quippe ita iam à priscis temporibus fuerat figuris significa-
 tum. *Tunc videns Iudas, qui tradidit eum quod condēnatus esset,*
pœnitētia ductus retulit triginta argēteos. Hoc tam Iudæ, quā
 pontificum culpā exauget: illius, nō quia eum pœnituit, sed
 quia tardè pœnituit, & seipsum condemnauit, confessus à se
 factū esse traditionē. Horū autem, quia cū possent mutare
 propositum, perseverarunt pertinaces, nulla pœnitendi co-
 gitatione cōpuncti. Tu verò cogita, quādo illum pœnituit,
 quādo ad exitium scelus iam omnino peruenit. Talis nem-
 pe diabolus est, vt nō dimittat hominem, nisi negligat ante
 vltimū effectū magnitudinem peccati prauiderē, vt pœni-
 tentiā ductus à peccato resiliat. Tam multis enim admoni-
 tionibus Christi nihil flexus, cū verò in vltimū iam effectū
 res venit, tunc pœnitentiā ducitur, neque tūc vtiliter, & vt
 oportebat. Nam quoniam quidem cōdemnauit seipsum, &
 argēteos proiecit, nec Iudæos veritus fuerat, omnia hæc lau-
 dabilia sunt: quod verò seipsum suffocauit, id ab omni venia
 remotum, perniciosum fuit consilium dæmonis: præripuit
 enim eum antequam pœniteret, vt pœnitentiæ fructū amit-
 teret, & extrema morte cunctisque manifesta, suspensus pe-
 riit. Ita vndique considera magnū veritatis splendorem con-
 flari ex his rebus, quas aduersarij agunt vel patiūtur. Ipsum
 enim mortis genus, quo proditor periit, eorū ora qui Chri-
 stum dānauerunt profectō consuit, nec sinit vt vmbra sal-
 tem excusationis inueniant. Quid enim dicere possunt, si ta-
 lem aduersus se proditor sententiam protulisse inuenitur?
 Sed videamus etiam, cū argēteos principibus sacerdotum
 retulit, quibus vtitur verbis, *Peccauī tradens sanguinem iustum,*
At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in
templo, recessit. Et abiens laqueo se suspendit. Nec enim potuit
 acerbos conscientie stimulos & flagella perferre. Similiter
 autem & Iudæi faciunt. Nam cū debuissent istis cōmoue-
 ri, pertinacissimè tamen perstiterunt, quousque ad exitū &
 effectum peccati peruenerunt. Nam peccatū quidem illius,
 quod erat proditio ad extremum modo venerat, illorū ve-
 rò nondum. Cū autem etiā illi scelus perfecerunt, & cru-

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

cixerunt impium, tunc conturbantur modò dicentes: No-
 li scribere hunc Iudaorum esse regem. Quid enim timetis?
 cur turbamini corpore iam ex animo in cruce suspensio? mo-
 dò diligenter custodiunt, dicentes: *Ne forte discipuli sufflue-
 ntur, & dicant à mortuis eum resurrexisse, & erit error ultimus pe-
 ior priore.* At certè si dicent, nisi res vera fuerit, faciliè redar-
 guitur. Sed quomodo furentur, qui nec stare quidem potue-
 runt, cum caperetur, quorum caput & vertex puellæ verba
 non ferens, tertio ipsum negauit? Sed vt diximus cogitatio-
 num turbine ferebantur, grauiter enim se commississe nõ
 ignorabant, quod inde patet, quia dicebant ad Iudam: Tu
 videbis. Audite ista, audite inquã auari, versate animo quid
 ille passus fuit. Nam & pecuniam amisit, & scelus admisit,
 & animam perdidit. Hæc atrox auaritiæ tyrannis facere so-
 let, nõ est argèto, nec hac vsus vita, nõ fruetur futura, vnuer-
 sa simul amisit: prauaque vel apud eos quibus tradidit, æsti-
 matione de suscitata, laqueo demum gulam fregit. Sed vt
 dicebam, non antequam rem perficiant, nonnulli inspiciunt:
 video enim etiam illos nolle interea, quantam rem auderët
 aspicere, sed dicentes: Tu videbis: quæ res culpam eorum
 maiorem reddit. Apertè nanque audacissimæ iniquitatis
 testantes passione se ferri, & nolle à perperam coëptis desi-
 sere ostendunt, siquæ ignorantia velamine stultè se adope-
 rientes. Nam si post crucem & mortem ipsius istud dixis-
 sent, quanuis neque tunc rectè dici poterat, nõ tamen adedò
 illos condemnaret: nunc autem cum adhuc in potestate ve-
 stra sit, & possitis ab hac vos abducere eadē, quomodo hæc
 dicere potestis? Hæc excusatio vestra multò magis accusat.
 Quonam pacto? quia totum ad proditorem crimen refer-
 tis, cum possitis ipsi huius sanguinis expertes esse: vos autē
 pertinacissimè ad peiora progrediētes, crucē proditori ad-
 didistis. Quid enim tenuit, cum illi dictum sit, tu videbis?
 à prauo proposito desistere: sed contrarium omnino faciūt,
 interitum inferentes, & vbique tam nequiter agentes, vt in
 pœnas ineuitabiles se coniecerint: sic & paulò post à Pila-
 to eis potestate commissa, latronem maluerunt, quàm Ie-
 sum eligere, & latronem quidem manifestis criminibus in-
 quinatū, tanquam innocentem complectuntur, Christum
 verò qui non modo nihil criminis vnquam fecit, sed plu-
 rimis etiam ac maximis beneficiis illos affecit, interfecer-
 runt.

runt. Quid autem Iudas? Postquam vidit inutilem se laborem perferre, quia nollent illi argenteos accipere, proiecta in templo pecunia abiit, & gulam laqueo fregit. Principes autem sacerdotum proiectos argenteos capientes, dixerunt: Non licet mittere in corbonam eos, quoniam precium sanguinis est, & consilio inito, emerūt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Ideo vocatus est ager ille, ager sanguinis, usque ad hodiernū diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam prophetā, dicentem: Et acceperunt triginta argenteas precium appreciati, & dederunt eos in agrum figuli, sicut dominus mihi constituit. Video rursus propriā eos conscientiam condemnari, quoniam enim non ignorabant iniquē se hominis cādem commississe, noluerunt in corbonā pecuniam deponere, sed agrum in peregrinorum sepulturam emerunt: quæ res prodicionis adversus illos testimonium est. Nomen enim villæ inditum omni clarius tuba sceleratam eorum prædicat cādem; nec simpliciter, sed concilio congregato id factum. Et in omnibus procedunt, ne aliquis ab hoc crimine innocens sit, sed omnes simul hac magnitudine peccati premantur. Hæc autem multis seculis antea prædixit prophetia. Perspicias, non ipsos solum, verum & prophetas turpissima opprobria exquisitè narrasse, & vndique magna voce passionem prædicari. Sed Iudei amentiam conuoluti, hoc modo fecerunt. Si enim in corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta esset: nunc verò villa empta, etiam posterioribus rem vniuersam prodiderunt. Audiatis quicumque animæ hominis precium capientes, beneficium postea ex cāde cōfertis. Iudaica huiusmodi eleemosyna est, imò vero diabolica. Sūt enim, sunt inquam etiam nunc qui alienis direptis excusatos se à toto crimine putant, si aliquam partem pauperibus dederint, de quibus ait propheta: Altare meum lachrymis velastis. Nō vult certè Christus rapina nutrirī, ingratiſſima hæc sibi sunt alimenta. Quid ita tu dominum cōtemnis, vt res immūdas offerre audeas? melius est cōmittere, vt inediā tabescat, quàm huiusmodi alimento sustentare. Alterū nempe crudelitatis simul & contumeliæ: & melius est, nihil omnino, dare, quā rem aliorū aliis cōcedere. Dic quæso, si duos quosdam videres, alterum omnino nudum, alterū indutum, nullāne iniuriam faceres, si vestitum spoliare, vt nudum indueres? imò vero maximam. Quod si re integra concessa,

Dd iiij

Mala. 2.

IN CAP. MATTHAEI XXVII.

non eleemosyna vſus es, ſed iniuriam cōmiſiſti, cū nec tri-
ceſimam partem raptarū rerum dederis, & eleemoſynā rem
appelles, quo ſupplicio nō vexaberis? Si enim accuſabūtur,
qui claudicātes offerebāt animātes, cū tu peiora facias, quo
modo veniā impetrabis? Nam ſi etiā ipſi à quo abſtulit fur
rem reddiderit, adhuc iniuriæ adeo reus eſt, vt vix additione
quadruplici crimen perſoluat, & hæc in veteri teſtamēto
ſolum munitus: ſed noua etiā gratia renouata, cōſidera quā-
tum in caput ſuum ignem exaggeret? quod ſi nondū pœnas
luit, idcirco magis lachrymandum eſt, quia iram ſibi theſau-
rizat, maiore, niſi pœnitentiā egerit. Quid enim, exiſtima-
tiſne, ait, illos ſolos peccatores fuiſſe ſuper quos turris ceci-
dit? Non, dico vobis, ſed vos quoque niſi pœnitentiā egeri-
tis, ſimilia patiemiſi. Agamus igitur pœnitentiam, demus
eleemoſynam ab omni avaritiæ tabe puram: & demus non
parcē, ſed copioſe. Veniat in mentem vobis, octo millia Le-
uitarum Iudæos alere ſolitos fuiſſe, & cum his viduas, & pa-
rētibus orbos, præterea muneribus & tributis ſubiectos mi-
litiæ quoque operā dediſſe: nunc autē agros, domus, locatio-
nes, vehicula, equos, mulos, multaque alia huiusmodi pro-
pter vos & veſtrā crudelitatem eccleſia poſſidet. Oportebat
enim hunc eccleſiæ theſaurū vos retinere, ac eccleſiam non
paruos ex noſtra deuotione conſequi fructus. Modo autem
duo quadam mala cōmittuntur. Nam & vos quaſi nihil da-
re debeatis nihil conſertis, & dei ſacerdotes à ſacerdotio a-
liena pertractant. An enim poterant etiā tempore Apoſto-
lorum domus, & agri ab eccleſia poſſideri? Cuius igitur rei
gratia vendētes pecuniā offerebant? Quia id multo melius
erat profeſſio. Nunc verò ſeculariū cura rerū vobis furenti-
bus, timor noſtros inuaſit patres, ne dum colligere ac nihil
ſeminare ſtudeatis, viduarū orphanorū, & virginū multitu-
do fame depereat, qua re cōmoti hæc ſibi comparare coacti
ſunt. Non libenter ad hanc ſe deformitatem immiſerūt, qui
deſiderabant fructus ex noſtra deuotione ſic acquirere, vt
orationibus ſolū attendere poſſent: nunc verò coegistiſti eos
eorum qui ſecularia gerunt negocia, curam & gubernatio-
nem imitari, vnde vniuerſa commiſcentur atque turbantur.
Cū enim & nos eadē ſollicitudine teneamur, quis propitiū
faciet deum? Propterea os aperire non poſſumus, quia non
in eccleſia, quā ſecularia gubernantur. Non audiſtis,
quia nec

quia nec quidē has pecunias, quæ absque labore fuerunt col-
 lectę distribuēdas putauerūt Apostoli: Modò autē in procu- *Heb. 10.*
 ratores, dispensatores, caupones redacti episcopi sunt, imò *Episcopo*
 vero istos etiam cura, & sollicitudine sæcularium rerum su- *rū pecca-*
 perarunt. Cūque oporteat ipsos animarū habere curā nō *tū depl-*
 strarum, hoc prætermisso illa sollicitē curāt, quæ publicanis, *rat et co-*
 quæstoribus atque villicis curanda sunt, de his quotidie co- *rū reslau-*
 gitant, & peruigilāt. Hoc nō frustra deploro, sed vt harū *rationem*
 rum mutatio quādā in melius fiat, vt & nos qui grauē hanc *petit.*
 seruitutē patimur, misericordiā cōsequamur, & vos fructus,
 & thesauros ecclesię præparetis: Si autē ita facere nō vultis
 ecce ante oculos vestros pauperes sunt, ex quibus quotquot
 potuerimus alere nō negligemus: quos verò non possumus,
 vobis dimitemmus: quos alite oro diligenter, ne in terribili
 die iudicij illa verba quæ aduersus immisericordes dicētur,
 audiat: Fameſcentē me vidistis, & nō aluistis, hæc certē in-
 humanitas nos quoque vobiscū derisibiles facit: orationibus
 enim, atque prædicatione, cæteroque cultu ecclesię præter-
 misso, alij vini, alij frumentorum venditoribus, alij cauponi-
 bus per totam vitam colluctantur: vnde iurgia, contentio-
 nes, conuicia, opprobria quotidie oriuntur, & vnicuique sa-
 cerdotū secularibus idonea negociis imposita nomina sunt:
 oportet igitur in talia hæc mutari, & inde presbyteros no-
 minari, vnde apostoli leges sanciebant: à nutritione videli-
 cet inopum, ab eorum qui lædebantur protectione, & dili-
 genti erga peregrinos cura, à patrocinio eorum qui oppri-
 muntur, in orbos parentibus cura, à protegēdis viduis, à de-
 fendendis virginibus. Hæc officia loco villarum, & domo-
 rum curæ presbyteris distribuere decet: hæc ornamenta ec-
 clesię sunt, isti conuenientes thesauri, qui & vobis faciliti-
 rem vitam, & nobis fructuosiorē præbere possunt, imò vero
 nobis quoque non paruam afferent vtilitatem. Gratia enim
 dei centum millia hominum huc cōuenire opinor, quorum
 singuli si vnum panem quotidie paupertati offerrēt, omnes
 certē pauperes abundarent: si vnum vnusquisque obolum
 solummodo, nemo penitus indigeret: & non adeò villis &
 agris attenti essemus, nec tot iurgia & conuicia quotidie pa-
 teremur. Illud enim euangelium, Vade ac vende vniuersa
 quæ habes, & da pauperibus, & veni ac sequere me, oppor-
 tunē nunc ad ecclesię præfides, propter latas ecclesiarum

IN CAP. MATTHAEI. XXVII.

possessiones, & meritò, dici potest. Non enim sequi Christum aliter possumus, nisi omnis secularis curæ simus expertes, Nunc verò proh dolor vindemiæ ac messi, dei sacerdotes, & venditioni ac emptioni fructuum assistunt: & illi quidem, qui figuræ atque umbræ cultum habebant, quâvis corporalius eis administratio esset cōmissa, omnium tamen harum rerum erant immunes: nos verò qui ad penetralia cœlorum vocamur, quique ad vera sancta sanctorum ingredimur, mercatorum rursus, & couponum curas suscipimus, unde & magna scripturarum oritur negligentia, ingens in orando segnities, & cæterorum omnium contemptus. Non enim possibile homini est sufficienter studio atque opera in vtraque distendi. Quare rogo, atque obsecro multò nobis vndique fontis scaturiginem, arcamque atque torcular nostram deuotionem fieri. Sic enim & pauperes facilius eo alètur, & deus glorificabitur, & vos ad maiora misericordiæ opera progressi, æterna vobis bona impetrabitis: quibus vti nam omnes perfruamur, gratiâ & misericordiâ domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXVII. EX

CAP. XXVII.

*I*esus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses dicens: Tu es rex Iudæorum? Ipse autem dixit: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondēbat. Respicias illud primum inuestigari, quòd Iudæi crebro malitiôsè volebant? Nam quoniam videbant nullam à Pilato de legibus curam fieri, ad publica crimina accusationem reduxerunt. Sic aduersus etiam Apostolos faciebant, eadem ipsa semper clamantes, quia circumuagantur, Iesum quendam regem esse prædicantes. Ita cùm quasi de homine nudo hæc dicerent, ad suspicionem tyrannidis impellere auditores conabantur vnde patet scissionem quoque illam tunicæ, & indignationē pontificis simulatâ fuisse. Cūcta enim verrebant atque turbabant, vt in mortē ipsum inuicerēt. Quod igitur illi maximè opponebant, id nimirū Pilatus scrutatur. Quid igitur, Christus tu dixisti. Et fatetur se regem esse, sed cœlestem, quod alibi clarius ad eundem Pilatum respōdens dicebat, Quia regnum meum nō est de hoc mundo. Verūm
ne aut